Q. D. B. V.

IATRO-ALIPTICEN VETERVM

DISSERTATIONE MEDICA

PRAESIDE

IO. IACOBO BAIERO

PHILOS. ET MED. D. HVIVSQVE PROF. PVBL. PRIMARIO REIPVBL. NORIMB. PHYSICO ET POLIATRO ALTORFINO ATQVE ACADEM. IMPERIAL. NAT. CVRIOS. ADIVNCTO VNIVERSIT. H. T. RECTORE

PATRONO AC PRAECEPTORE OMNI PIETATE ET OBSERVANTIA AETATEM VENERANDO

IN HAC ALMA ALTORFINA COMMILITONVM DISQVISITIONI PROPONET

A. D. XVIIII. IVNII

A. O. R. cIɔIɔccXXIII.

ACADEMIAE SECVLARI

IOANN. CHRISTIANVS Selig

EIBENSTOCHIO-MISNICVS.

A. ET R.

TYPIS IODOCI GVILIELMI KOHLESII ACAD. TYPOGR.

47714/P

323763

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

SELIG, J.C.
C

PRAEFATIO.

VEteres Hebræos æque ac alias gentes haud exiguam munditiei, luxus & lautitiarum partem in unctionibus *poſuiſſe, earumque uſum & in ſacris & profanis actionibus frequentaſſe, neminem facile, rerum antiquarum ſcientia vel leviter imbutum, fugere poteſt. De* ſacris *equidem illis* unctionibus, *quarum crebrior in diuinis literis fit mentio, multa hic conſarcinare, operæ pretium eo minus eſſe putamus, quo expeditiorem eas pernoſcendi occaſionem & viam lectio ſacri Codicis cuiq; ſuppeditat. Quod ſi vero curioſiorem forte animum, amplius aliquid de iisdem legendi cupido inceſſerit, huic* Fortunati Scacchi ſacra Elæochriſmata *deſiderium expletura ſpondemus. Cæterum quanti a priſcis Græcorum Romanorumque gentibus* unctiones *fuerint habitæ, ex eorum monumentis pronum eſt colligere: ſeorſim autem idolis & aris conſecrandis* ungendi *ritum iſtum olim fuiſſe deſtinatum, pro ſua ſingulari eruditione ſatis luculenter demonſtrauit B.* Eſchenbachius *in diſſertatione* de unctionibus gentilium. *Quantum porro optimorum & pretioſorum unguentorum ante quam ad*

epulas & convivia accederent, perdiderint, antiquitatum convivalium diligentiſſimus auctor Guil. Stuckius *fuſe oſtendit. Qui in balneis veterum deſcribendis egregiam poſuerunt operam*, Baccius & du Choul, *vix ſatis exprimere verbis queunt immodicum plane gentium luxum, quando non ſolum corpora ſua odoratiſſimis* unguentis *imbuebant, ſed &* balnea *ipſa, & eorum parietes unguentis affatim conſpergebant. Mirum hinc nemini eſſe debet, Lacedæmonios olim* unguentorum *venditores urbe expuliſſe, quod cives magnam facultatum ſuarum partem illis coemendis, non ſine reipublicæ damno impendere, animosque ipſorum hinc paullatim effœminari intelligerent. Id quod effrenatæ luxuriæ remedium poſtea ſenatus quoque Romanus imitari coactus, narrante* Plinio, *poſt ſtragem Regis Antiochi A. V. C. DLXV. cenſoribus P. Lic. Craſſo & L. Jul. Cæſare edicto prohibuit*, ne quis olea & unguenta exotica venderet. *Sed ne diutius his recenſendis immorando ſola vani gentium luxus teſtimonia afferre videar, ad id potius ſermonem nunc flecto, quod prudentis gentilium inſtituti exemplum præbere, & inprimis veteris medicinæ partem illuſtrare poteſt:* Methodus *ſcilicet* tuendæ valetudinis per unctiones, ſ. IATRO-ALIPTICA veterum, *eſt, cuius cauſa haec præfari lubuit. Hanc, quantum* diſſertationis Academicæ *modulus, ingeniique noſtri vires patiuntur; primo breviter* hiſtorice *perſtringam, & deinde, quantum utilitatis*, ad hodiernam apud nos vivendi ac medendi rationem compoſita, *invenire poſſit, diſpiciam. Cui propoſito ut* Supremi Numinis gratia *clementer adſpirare velit, eſt, quod devota mente precamur.*

§. *I.* Abun-

§. I.

ABunde notum eſt, veteres, inprimis *Aegyptios* a) *tot fere medicorum genera numeraſſe, quot morborum ſpecies mortalium corpora ſolent vexare:* hinc dudum proverbii loco dictum: *Aegyptii omnes medici!* quod inter Adagia medica recenſuit D. D. Præſes. Quis vero adeo rerum antiquitus in medicina geſtarum ignarus, qui *ocularios*, *auricularios*, *dentarios* b) &c. Græcorum & Romanorum in monumentis ſæpius commemoratos non legerit? Sed quemadmodum horum plerique a partibus, quibus male affectis opem ferebant, denominati videntur; ita aliam quoque medicorum ſortem invenimus, quæ *nomen a materia ſeu medicamentis*, quibus valetudinem hominibus procuravit, eſt ſortita: & id clariſſime prodidit *Galenus* c) ſcribens: Ἑτέρους δὲ ἀπὸ τῆς ὕλης προσηγόρευσαν, ἤτοι διαιτετικοὺς, καὶ φαρμακευτικοὺς, ἢ καὶ νὴ διὰ βοτανικοὺς, εἰσί δ' οἳ καὶ οἰνοδότας καὶ ἐλεβοροδότας τινὰς ἰατροὺς ἐκάλεσαν, ἐκ τοῦ πολλάκις αὐτοὺς θεάσασθαι τοιαύταις ὕλαις χρωμένους. Huius quoque generis ſunt *veterum IATROALIPTÆ*, quorum medicina paſſim ab auctoribus ſub *IATROALIPTICES* nomine laudata, & ad pleroſque multos corporis humani affectus a veteribus medicis, utpote *Celſo*, *Galeno*, *Oribaſio*, *Ægineta* &c. præſertim vero a *Methodicis*, *Sorano* & *Cælio Aureliano*, aliisque, commendantur. Nos elogia iſta utilitatum in morbis curandis nunc neutiquam cumulaturi, in hac diſſertatiuncula tantummodo, *quantum ad tuendam valetudinem* profuiſſe perhibeatur, examinabimus. Cæterum potuiſſemus fortaſſis hoc labore ſuperſedere, ſi *Metrodori Scepſii*

a) *vid. teſtimonium* Herodot. *lib. II. pag.* 61. *edit. Græc.* Camerar.
b) *ad* Thraſybulum *pag.* 293. *edit. Græc. Baſil.* c) *ibid.*

περὶ τῆς ἀλειπτικῆς *liber* ab *Athenæo* citatus adhuc ſupereſſet. Nec dubium eſt, quin *Aſclepiades* in illo volumine, quod *communium auxiliorum* titulo inſcripſit, multa quoque *de unctionum utilitate* tradiderit; ſed cum iniquitas temporum id quoque manibus noſtris eripuerit, iacturam eiusmodi operum merito lugemus, et acquieſcere cogimur in paucis illis documentis, quæ ſparſim apud auctores alios reperiuntur.

§. *II.*

Vt vero, quæ ad *nomen IATRALIPTICES* pertinent, quantum fieri poteſt, breviter ediſſeramus, quilibet Græcarum literarum non penitus ignarus facile intelligit, illud eſſe originis Græcæ ex ἰατρὸς & ἀλείφω compoſitum, ſicque Latina lingua denotare *MEDICINAM VNGVENTARIAM*, quemadmodum etiam Lexicographi quidam exponunt. Vtrum vero diſcrimen illud, quod Grammatici inter ἀλείφειν & χρίειν conſtituunt, magni momenti ſit, & quod Græcorum Scriptorum autoritate confirmari queat, noſtrum nunc non eſt decernere. Si cui tamen in id accuratius inquirere libuerit, *Caſauboni animadverſiones in Athenæum*, & laudatam *Eſchenbachii disſertationem* conſulere iuvabit. Hoc multis optimorum auctorum teſtimoniis comprobatum novimus, τὸ ἀλείφεσθαι ſæpius pro παρακελεύεσθαι uſurpari. Cæterum deſcendunt ab hac voce ἀλειπτήριον, ἀλείπτης, ἄλειμμα &c. de quorum ſignificatione plura infra dicenda reſtant. In præſenti vero non poſſumus non diligenter ſerioque inculcare diſcrimen inter ἀλείπτης & ἄλειπτος, quæ duo vocabula ſecundum literas quidem cognata reapſe diverſa, *Mercurialis*, vir alias in hoc literarum genere verſatiſſimus, perperam confundit; dum in inſcriptione quadam athletica Græca vocem ἄλειπτος Latine reddit *Alipta*, quæ tamen, ex ἀ ςερητικῷ & λείπομαι compoſita, idem ac ἀήττητος, i. e. inſuperabilis, invictus, ſignificat.

§. *III.*

§. III.

Ita breviter, quæ ad nominis explicationem pertinere videbantur, propoſitis, iuvabit nunc *originem unctionum* in genere paulo altius repetere. Fatentur autem, qui in hanc ante me inquiſiverunt, omnes, eam eſſe admodum obſcuram. Et, quamvis antiquiſſimus earum uſus ex ſacris & profanis literis demonſtrari poſſit, haud æque tamen facile definitur, quæ natio prima eas invenerit, aut frequentaverit. *Mercurialis* d) equidem *Ægyptios* inter alia medicamentorum genera *unguentorum* etiam *mixtiones* excogitaſſe aſſerit, nullo alio inſtructus eius rei documento, quam quod Ægyptii myrrhæ copia abundent, plurimaque veterum unguenta Ægyptii cognomine appellentur. Sed quam parum hoc probet, optime *Marſilius Cagnatus* e), decus medicorum Italiæ, oſtendit. Præiviſſe quidem Mercuriali videtur *Plinius* f), quando *Ægyptum omnium terrarum accommodatiſſimam unguentis* appellat: Idem vero & alibi g) fatetur, *non tradi, quis primus ea invenerit.* Tandem non obſcure ſententiam ſuam *de unguentorum inventione* hunc in modum prodidit: *Perſarum debet eſſe gentis unguentum. Illi madent eo, & accerſita commendatione, ingluvie natum virus extinguunt.* Quem locum varie autores varii enodare ſtuduerunt: Nobis Cl. *Salmaſii* h) placet emendatio. Hic enim pro *ingluvies*, MSS. Codicum fide nixus, mavult legendum eſſe *inluvies*, quæ ἀλȣσία in gloſſis eſt; deinceps e *Xenophonte* adſtruit, Perſas adeo exercitiis & ſudoribus adſueſſe, ut nullus temere cibum ſumeret, priusquam ab exercitio ſudaſſet. Veſtes vero ſudore tinctas Perſas non depoſuiſſe, nec ſe lavaſſe: ex hac igitur *illuvie* natam

d) *Var. lect. lib. II. cap.* 19. e) *var. obſerv. lib. II. cap.* 9.
f) Plinius *Hiſt. Nat. lib. XIII. cap.* 3. g) *lib. cit. cap. I.*
h) *Exercit. Plin. in Solin. pag.* 665.

natam immunditiem, & totius corporis fœtorem, quem *unguentis* illi ſtuduiſſent expellere. Græci unde *unguentorum* notitiam acquiſiverint, pariter non liquet. *Plinius* c. l. credere videtur, Alexandrum ex Darii ſupellectile direpta ſcrinium unguenti reportaſſe, & hinc Græcis eſſe unguentorum notitiam. Sed aut parum verſatus in Græcorum monumentis, aut immemor eorundem cenſendus eſt *Plinius*, cum unguentorum ſive μύρων in ſcriptoribus, Alexandro longe antiquioribus crebrior fiat mentio, nec dubium ſit, negante licet *Plinio*, quin ipſis Iliacis temporibus iam nota fuerint, tametſi apud *Homerum* τȣ͂ μύρȣ vocabulum nusquam legatur. Quando Romanis primum in uſu eſſe ceperint *unguenta*, nec *Plinius* determinare audet. Id manifeſto innuit, *non ante ſuperatum bello Antiochum peregrina Romam invecta eſſe unguenta.* Quod ſi *medicum uſum* introductum ex eo metiri liceret, quando a ſcriptore medico prima eius facta fuerit mentio, pro certo aſſerere poſſem, *uſum unguentorum luxurioſum medico longe antiquiorem*, utpote cuius iam *Ariſtophanes* in Pluto meminit ſeqq. οὔτε μύροισι, μυρίσαι ϛακτοῖς, ὁπόταν νύμφην ἀγάγηϑον, & in ἀχαρνεῦσι, ϛέφανοι, μύρον, τραγήματα, &c. *Lycurgus*, qui Lacedæmoniis leges tulit ante Romam conditam, & longo ante *Hippocratem* intervallo, *unguentum, tanquam olei perniciem expuliſſe dicitur*, teſtante *Plutarcho* in Laconicis. Fallitur itaque *Mercurialis* i) in eo, ubi ſtatuit, uſum unguentorum luxurioſum multo poſt *Hippocratis* tempora demum eſſe invectum, cum & teſtimonia iam ante allata contrarium adſtruant, & ipſe *Hippocrates* k) uſum eorundem, ornatus & ſuavitatis cauſa commendaſſe videatur, ubi medico commendat, ut *unguentis odoratis* placere ſtudeat, quæ ſuſpicione careant.

§. *IV.*

i) *Var. lect. lib. II. cap.* 19. k) *libr. qui medicus inſcribitur.*

§. IV.

Vt propius ad rem accedamus, lubet nunc in ipſius *IATRALIPTICES autores primosque ſcriptores* paulo curatius inquirere. Hoc nomine *Plinius* l) *Prodicum Selymbrianum* appellat *Hippocratis* diſcipulum. Præter *Plinium*, qui expreſſis verbis *Prodicum* hunc *Selymbrianum medicinæ unguentariæ auctorem* nominare ſuſtinuerit, equidem ex veterum ſcriptorum agmine neminem cognovi. *Galenus* m) vero ejus nominis duos commemorat, alterum *Selymbrianum*, alterum *Leontium*, de quorum altero hoc perhibet teſtimonium, quod vix in *Selymbrianum* cadere videtur n): Μόνος φαίνεται Πρόδικος ἐζηλωκέναι αὐτὴν ἐν τοῖς ὀνόμασι μικρολογίαν &c. Dubito, an hoc illi *Sophiſtæ*, cuius opus de Hercule *Xenophon* o) & *Stobæus* p) citant, tribuere debeam, cum ſufficientibus deſtituar documentis, quæ conjecturam roborare, aut me certiorem reddere poſſint. Aliam itaque ex Viri Clariſſimi D. *Petri Gericke* collegio Hiſtoriæ medicæ MSto, hauſtam conjecturam proponere licebit. Opinatur nimirum Vir eruditiſſimus, hunc *Plinii Prodicum* non diverſum eſſe ab *Herodico Selymbriano*, *Hippocratis* præceptore, & medicinæ gymnaſticæ autore, cuius apud *Plutarchum* q) & *Platonem* r) fit mentio. Quæ me, ut huic opinioni accedam, argumenta inducant, breviſſime exponam: Primo quidem exploratum & antiquorum fere æqualium ſuffragiis confirmatum eſt, *Herodicum* hunc medicinam gymnaſticam conſtituiſſe, & velut in artis formam redegiſſe; quoniam vero eadem illa *unctiones* ut partem fere principem complectitur, dubium non eſt,

l) *H. N. lib. XXIX. cap.* 1. m) *Comment.* 3. *in* Hippocrat. *epidem. l. VI.* §. 31. n) *in libr.* Hippocr. *de articul. lib. IV.* §. 16. o) *lib.* 2. *de dictis Socrat.* p) *Sermon. I.* q) *lib. de iis, qui ſero a numine puniuntur.* r) *lib.* 3. *de republ.*

quin optimo iure *Herodicus Iatraliptices auctor* videri poſſit. Deinde nota literæ Η initialis, in voce Ἡρόδικος, ſuſpicari facit, annon *Plinius* perperam Π pro Η Græcorum legerit; id quod & librariis in deſcriptione uſu venire potuit. Quod ſi vero quis *Prodici* nomen retinere maluerit, hoc tamen confiteri debet, *Plinium* erraſſe, quod illum *Hippocratis* diſcipulum dixerit, cum *Suidæ* s) teſtimonio conſtet, hunc illius præceptorem fuiſſe.

§. *V.*

Ordine nunc ducimur ad conſiderationem *perſonarum, quæ unctiones adminiſtrarunt*, ſ. *unctores medicos.* Cum enim eorum, qui in palæſtra exercebantur, non minima pars, propter valetudinem, varia motus genera ſuſcipiebat, utique ipſas *unctiones*, quæ eodem fine adhibebantur, contemplari par eſt. Iuvabit autem, antequam varia unctionum genera examinemus, perſonas, quæ hisce præerant, tantiſper deſcribere. Conſueto igitur plerisque veteribus Græcis nomine dicebantur *Aliptæ*, Lat. *Unctores.* Iſto autem nomine, tantum abeſt, ut athletarum ſolummodo unctores appellati ſint, ut potius generale fuiſſe, quosvis unctores deſignans, autorum teſtimoniis confirmari poſſit. Quin imo ipſos *IATRALIPTAS* ſ. medicos unctores a veteribus ſimpliciter *aliptas* eſſe nuncupatos, permulta ſcriptorum loca, imprimis, quæ ex *Cœl. Aureliano* repetere licet, demonſtrant. Hinc dubitamus, an ſtabili fundamento aut claris veterum ſcriptorum documentis nitatur differentia illa, quam inter *aliptam* & *Iatraliptam Dan. Clericus* t) conſtituit, ubi *aliptas* ab *Iatraliptarum* pependiſſe imperio, hosque illorum fuiſſe magiſtros aſſerit; niſi forte *iatraliptæ* nomen pro *gymnaſta* aut *pædotriba* cum *Mercuriali* u) velit acceptum.

At

s) *vid. in voce* Ἱπποκράτης. t) *dans l'hiſtoire de la Medecine Part. III. Liv. I. chap. II. p.* 24. u) *art. gymn. lib. I. cap.* 12.

At enimvero, ſi quid mihi de hac vocis *Iatraliptæ* ex propria in alienam ſignificationem translatione videatur, ingenue fateri licet, parum aberit, quin temere illam factam pronunciem. *Paulum* enim *Manutium* ad illum Ciceronis locum lib. I. ep. 9. famil. *aliptæ* vocabulum ad gymnaſii præfectum deferentem quæ neceſſitas coegerit, non video. Quid enim impedit, quo minus proprie vocabulum *aliptæ* ibi accipere poſſimus, cum profecto color corporis ſive cutis nulla re facilius quam unguentis perdatur, id quod vero prohibere in *aliptarum* virtutibus ponebatur. Probabile eſt igitur, contra Mercurialis aliorumque ſententiam, aliptas etiam haud raro gymnaſtarum obtinuiſſe officia, dum v. gr. ſaginæ athletarum, eorumque victum dirigendi & exercitia diſponendi curam cum gymnaſtis communem habuerunt. Ad id ſtatuendum luculentus *Ariſtotelis* locus, a *Fabro* x) iam notatus nos permovet: ſic enim ille: y) οὐ γὰρ τῷ δέκα μνᾶς φαγεῖν πολὺ, δύο δὲ ὀλίγον, ὁ ἀλείπτης ἓξ μνᾶς προστάξειεν. Quod vero & vitæ athletarum rationem obſervaverint *aliptæ*, *Plutarchi* z) teſtimonio conſtat, qui *aliptam* athletas impune ſeſe inebriare tolerantem, & ob levia delicta obiurgantem adulatori comparat ſeqq. Ὥσπερ ἀλείπτης ἀθλητὴν ἐῶν μεθύειν καὶ ἀκολασταίνειν, εἶτα περὶ ληκύθου χαλεπὸς ὢν καὶ στλεγγίδος &c. Si porro coniecturis, ubi clara auctorum teſtimonia deſunt, locus concedatur, exiſtimaremus nos, gymnaſtæ ſ. pædotribæ curam potiſſimum in eo fuiſſe poſitam, qua ratione athletis, qui εὐεξίαν ſ. bonum corporis habitum acquirere, artusque roborare ſtudebant, victus & reliquam vitæ rationem præſcriberet, admiſſis tamen in muneris huius ſocietatem

 aliptis;

x) *Agoniſt. lib. II. cap. 5.* y) *ad Nicomach. lib. II. cap. 6.* z) *Libr. inſcript.* quomodo quis adulatorem ab amico diſcernere debeat?

aliptis; *iatraliptæ* vero ſtudium in eo præcipue collocatum fuiſſe, ut, iuxta cum *unctionum & fricationum adminiſtratione*, bonis vivendi præceptis eos regeret, qui *valetudinis tuendæ cauſa*, &, ut initia morborum profligarent, ſive publice in palæſtra ſive privatim in villis ſuis exercebantur. Teſtes huius rei habeo haud obſcuros, *Celſum* & *Aeginetam*; hic enim, ubi cachecticorum curationem tradit, inter cetera remedia ſuadet: aa) γυμναζέσθωσαν παντοδαπῶς, μάλιστα δὲ διὰ τῶν καλουμένων ἰατραλείπτων; ille bb) vero hominem perfecte ſanum depingens inter ſigna eius recenſet, *iatralipta non egere*.

§. *VI.*

Ne quid amplius, quod ad conditionem eorum pertinet, prætermittere videar, lubenter quidem fateor, *aliptarum*, qui in palæſtra & balneis operam præſtabant, conditionem fuiſſe ſervilem, eiusmodi tamen, quæ non omni prorſus ſpe libertatis impetrandæ eſſet deſtituta. Vtrum vero *Iatraliptæ* ſtricte ſic dicti, *medici* nimirum *unctores*, qui extra balneas atque palæſtram ſanitati hominum periclitanti ſua ſubveniebant induſtria, ad eandem abiectam conditionem in univerſum relegandi ſint, profecto dubitamus. Dantur enim adhuc veterum monumenta, ex quibus elucet, *Iatraliptas* civitate Romana, & Alexandrina ab Imperatoribus donatos, cuiusmodi exemplum *Plinius* Nepos cc) oſtendit, qui ſolicitudini & ſtudio *Harpocratis* gratiam relaturus, ipſi a *Traiano* Cæſare utrumque ciuitatis ius deprecando impetravit. Et, ſi æqualis veterum medicorum æſtimanda ſit conditio, aſſerere ſuſtinerem, nec *Iatraliptis* ad publicos honores præcluſum fuiſſe aditum. Quemadmodum enim ex vett. lapidi-

aa) *libr. III. cap. 47. pag. 103. edit. Baſil. Græc.* bb) *libr. I. de medicin. cap. I.* cc) *Lib. X. Ep. 4. 5. & 22.*

lapidibus, quorum exempla πολύϊςωρ ille Patavinus, *Rhodius* dd) habet, ocularijs, clinicis, chirurgis &c. publicum ſeviratus officium dignitatemque patuiſſe conſtat, ita nullum quoque dubium eſt, quin *Iatraliptæ* ad eundem honorem fuerint admiſſi, maximeque illi, qui libertatem non argento redemerant, ſed Imperatorum propitia voluntate erant adepti. Ceterum pauci ſunt, qui *Iatraliptarum* nomine a ſcriptoribus recenſeantur. *Galenus* ee) *DIOTAM* aliquem *Iatralipten* nominat. *Plinius* l. c. *HARPOCRATEM* ſuum laudat. *Aliptarum* nomine plures memorantur antiquis. *Pythagoræ* cuiusdam *Aliptæ* apud *Diogenem Laertium* ff), *Iamblichum* gg), & *Plinium* maiorem hh) fit mentio; & hic eſt, quem athletarum victum immutaſſe, iisdem auctoribus demonſtravit Excell. Dn. D. Schvlze ii), *Vnctorum* ingens multitudo in veterum libris & inſcriptionibus occurrit; *Opelici* unctoris kk) *Martialis* meminit. *Panthæ*, *Secundionis*, *Erotis*, *Plætorii* &c. nomina inſcripti antiquitus lapides reddiderunt perennia. Priusquam pedem ad alia promoveam, breviter ſignificabo, etiam in ipſis ſacris litteris haud obſcura deprehendi veſtigia *medicorum unctorum*, qui, niſi iidem ſint cum *Iatraliptis* Græcorum, certe quam proxime ad horum conditionem accedunt. ll) Imo certo reſpectu in ipſos Chriſti Apoſtolos eorumque ſucceſſores *Iatraliptarum* nomen competere poterit, quatenus nimirum pleraque, quæ præſtiterunt, miranda in ægrotorum curationibus, mediante *unctione*, tametſi

dd) *emendat. in Scribon. Larg. compoſ. 37.* ee) *libr. 7. de compoſ. med. ſec. loc.* ff) *libr. VIII. vit. Pythag.* gg) *in vit. Pythag. cap. V.* hh) *H. N. lib. 23. c. 7.* ii) *diſſert. inaug. de athletis veterum, §. 28.* kk) *libr. 12. epigr. 71.* ll) *vid. Fort. Scacchi Sacr. Elæochriſm. Myrothec. I. cap. 16. & 36.*

hæc ipſis tantum externi ſymboli loco fuit, perfecerunt. mm)

§. VII.

Commode nunc varia *oleorum* & *unguentorum* genera, quibus uſa eſt veterum *iatraliptice*, recenſerem; ſed cum verear, ne prolixa nimis fieret enarratio, & in volumen excreſceret, Lectorem curioſum ad laudatam antea B. *Eſchenbachii* diſſertationem, quæ ex *Dioſcoride*, *Theophraſto*, *Plinio* aliisque longam illorum ſeriem contexuit, remitto. *Hippocratis* tempore adeo amplus iam erat *oleorum* & *unguentorum* numerus, ut tædioſum foret lectori, ſi ea huc transſcribere ſuſtinerem. *Aegyptiorum* cognomine quatuor ipſi memorantur, ut & unum *Theophraſto* in libr. de odoribus. Ceterum de *Aegyptiorum oleis* prolixe tractavit *Borrichius in Medicina Hermetica*. Miſſis igitur illis, tantum ea, quæ propius ad *Iatralipticen* pertinent, referre lubet. Mixta vero eadem ac varie temperata aut exaltata magis amabat unguenta; hinc ſæpius ὑδρελαίȣ apud veteres mentio, quod *oleum aqua permiſtum* fuiſſe vel ipſum nomen innuit. Quo fine veteres & conſilio hanc mixturam inſtituerint, *Ariſtoteles* nn) optime declarat: *idcirco aquam oleo admixtam, quando exercitatis adhibetur, magis laſſitudinem tollere, quam oleum ſimplex, quoniam ita interius penetrans exſiccata membra demulcet ac ſimul humectat.* Non vero exercitatis ſolum, ſed ægrotis quoque adhiberi ſolitum ὑδρέλαιον, *Cœl. Aurelianus* oo) probat, ubi phrenitidis curationem tradit: *Dehinc, abalienatione perſeverante, etiam calida cum oleo mixta, quod Græci vocant* ὑδρέλαιον. *Paulo enim vehementius hoc genus fomenti operatur, ſi, ut*

mm) *vid. diſſert.* de curatione morborum per oleum ſanctum, præſide Io. Andr. Schmidio, Ien 1695. habita. nn) *Problem. Lib. V. 6.* oo) *Acut. lib. I. cap. IX.*

ut ſupra diximus, oleo aqua calida miſceatur. Non admodum diſparis facultatis eſſe videtur alia *ex vino & oleo* facta miſtura, magnis apud veteres laudibus celebrata. Ex utraque vero haud raro ἐμβάσεις & ἐγκαθίσματα Græcis olim, hodie *inſeſſus* aut *ſemicupia* medicis appellata parabantur, paſſim ab autoribus commendata. Alia erat *compoſitio*, qua, antequam exercitia inibant athletæ, nuda oblinibant corpora, *ex oleo, cera & pulvere mixtis*, hinc *Ceroma* a Romanis vocata. Eam vero præcipue ob cauſam huiusmodi compoſitionem fuiſſe inventam, probabile eſt, ut firmius maſſa adhæreret, nec tam cito a corporibus deflueret. Aſt aliam inſuper rationem eius tradit *Hippocrates* pp) *ideo* nempe *oleo terrarum pulverem admiſceri, ut ſuo frigore & ſiccitate olei æſtum & humiditatem temperaret. Pulvis* ille immiſceri ſolitus ex diſſitis interdum regionibus advehebatur. Præ ceteris aptiſſimum iudicabant *Aegyptium*, e Nilo petitum, ut *Suetonius* qq) refert. Nec minori laude dignabantur *Puteolanum*, ex Albano agro aut Baiano allatum, itemque illum, qui prope ardentem *Veſuvium* colligebatur. rr) Hic non poſſumus ſilentio præterire, quibusdam gentibus unctionis materiam placuiſſe *Butyrum*, ſiquidem *Galenus* ss) teſtatur: *quod homines in plerisque frigidis regionibus, in quibus oleo carent, butyro utantur in balneo.* Idem ante Galenum *Plinius* etiam memoriæ prodidit tt) his verbis: *Non omittendum in eo* (butyro) *olei vim eſſe, & barbaros omnes infantesque noſtros ita ungi*; quamvis hunc *butyri* uſum, Romanis quoque olim familiarem, ab aliis autoribus notatum hactenus non legerim. Cæterum quod attinet ad *oleum*, Romani & Græci

pp) *lib. 2. de diæta, in fine.* qq) *in vit. Neron. cap. 45.* rr) *Vid.* Mercurial. *Gymnaſt. Lib. I. cap. 8.* ss) *de aliment. facultat. lib. 3. §. 15.* tt) *Lib. XI. cap. 41.*

Græci peculiare pretium & prærogativam in unctionis negotio ſtatuerunt *veteri* oleo, quemadmodum ex *Plinio* non ſolum, ſed etiam medicis autoribus variis, præſertim *Celſo* & *Scribonio Largo*, cognoſcere licet.

§. VIII.

Quæ in palæſtris, ante exercitationum initia, athletis adhibebantur *unctiones*, ad παρασκευαστικὴν pertinebant. Nullibi tamen (quantum nobis conſtat) ſatis accurate deſcriptus eſt modus, quo eædem ſint peractæ. Hoc *Luciano* auctore diſcimus, plerosque, ubi ſe prius bene fricaſſent, manibus propriis ſe perunxiſſe, aut viciſſim unum ab altero unctum. Qui vero *valetudinis cauſa* palæſtrica aut athletica ſubibant exercitia, hos credibile eſt ab *aliptis* diverſimode, pro diverſa periclitantis valetudinis ratione, *unguentis*, *oleis* & frictionibus fuiſſe tractatos, ſic ut modo lenius, modo durius corpora fricarent ac perungerent, & ſecundum valetudinis aut imbecillitatis conditionem *modo tepida, modo frigida, modo calida unguenta* applicarent. Hac ratione qui ungebantur, nonnulla quoque inter ipſum actum *aliptarum præcepta* obſervare tenebantur, e quibus non poſtremum illud videtur, *ut fricationibus obniterentur*, ſemperque ſe opponerent, & corporis partes inter inungendum atque contrectandum moverent; id quod *Plutarchus* uu) retulit: Ὅτι μὲν γὰρ ἰσχύειν δίδωσι τὸ πνεῦμα, δηλοῦσιν οἱ ἀλεῖπται. τοὺς ἀθλητὰς κελεύοντες ἀντερείδειν ταῖς τρίψεσι, καὶ παρεγκόπτειν τηροῦντας ἀεὶ τὰ πλασσόμενα μέρη καὶ ψηλαφώμενα τοῦ σώματος. Vſum vero, quem exercitatis afferebat, hæc *ſpiritus continentia*, optime *Hippocratis* verba docent ex libr. II. de Diæta in fin. ſumta: Πνεύματος δὲ κατάσχεσις τοὺς πόρους διαναγκάσαι, καὶ τὸ δέρμα ἐξῶσαι δύναται. Ex quo loco clariſſime patet,

hoc

uu) ἐν τοῖς ὑγιεινοῖς παραγγέλμασι.

hoc præceptum ad *ἀποθεραπείαν* eſſe accommodandum, cuius finis erat *κενῶσαι τὰ περιττώματα, καὶ ἄκοπον φυλάξαι τὸ σῶμα*, uti *Galenus* prodidit. xx) Nullus vero dubito, quin iuxta hoc, alia quoque extiterint *præcepta aliptarum*, ad quæ ſeſe accommodare debuerant & athletæ, & ii, *qui ſanitatis cauſa ungebantur;* hoc enim innuere videtur *Cœl. Aurelianus*, quando multis in morbis *unctionum uſum* ſuadet, nunquam tamen non admonet, ut *aliptarum præceptis ordinentur, ſub magiſterio aliptæ, adhibito unctionis præceptore, monitore* &c. ſuſcipiantur.

§. IX.

Vnguenta, poſteaquam uſum præfinitum præſtiterant, aut *ſtrigilibus*, aut *linteo*, aut denique *ſpongia abradebantur* & detergebantur corporibus. Hinc etiam *ſordes ſtrigmentorum* appellationem traxerunt. *Strigilem*, quamvis iam *Mercurialis*, *Pignorius* ac *du Choul* depictam, ærique inciſam dederint, in eorum tamen gratiam, qui horum fortaſſe libris deſtituti ſunt, iuvabit brevem eius adumbrationem hic referre, ex *Apuleio* yy) deſumtam: *Iuxtaque honeſtam ſtrigileculam recta faſtigiatione clauſulæ, flexa tubulatione ligulæ; ut & ipſa in manu capulo moraretur, & ſudor ex ea rivulo laberetur.* Paulo obſcuriora hæc *Apuleii* verba *Pignorius* zz) planiora ſic reddere conatus eſt: *Per tubulationem quippe ligulæ ſudor dilabebatur. Ligulam autem vocat, partem incurvam ſuperiorem, quod ſit non abſimilis Ligulæ, oblonga, fornicata, & contracta* &c. Inſignem materiæ varietatem, ex qua confectæ antiquitus *Strigiles*, eruditorum muſea hodieque monſtrant. Has vero quemque pro facultatum ſuarum modiolo ſ. vilem ſ. pretioſam ſibi confici curaſſe, quivis facile

C

xx) *Lib. 3. ſalubr. cap. 2. p. 245. Tom. IV. ed. cit.* yy) *Florid. lib. I.*
zz) *Comment. de ſervis, p. m. 78—81.*

facile poteſt iudicare. Faciem earum ſi medicis conſiderationibus ſubiiciamus, cavitatem illam, quam tubulationem vocat *Apuleius* non ſolum ideo, ut ſudor ex ea rivulo laberetur, fuiſſe effictam, ſed alium quoque finem ſibi habuiſſe propoſitum reperimus. Qui enim accuratius morboſam humorum diſpoſitionem explorare ſtudebant, *ſudorem* hac cavitate excipiebant, & ita *colorem eius inſpiciendo*, *ſaporemque*, ſi *Langio* aaa) fides habenda, *guſtu examinando*, de ſubiectorum valetudine pronunciabant. Prioris aſſerti teſtem habemus ſatis idoneum *Galenum* bbb); unde vero alterum *Langius* hauſerit, incertum eſt, cum eo loco, ad quem ille provocat, ne veſtigium quidem eius rei nobis reperire licuerit. Præter hunc, alium quoque uſum commodabant *ſtrigiles* veteribus medicis valde familiarem in fricando. Siquidem *Hippocrates* earum meminit lib. III. de ratione victus in acutis, ubi quidem *ſpongiis ſtrigilium loco* uti iubet. *Cœl. Aurelianus* ccc) in dolore dentium ad muſculos buccarum ad ruborem usque fricandos earundem uſum commendat. *Galeni* tempore, durum hoc inſtrumentum, quamvis in balneis adhuc frequentaretur, medici aſpernabantur, & a balneo ægros linteo tegendos detergendosque curabant, ut ipſe *in comment. ad loc. cit. Hippocratis* memoriæ prodidit. Recte autem & laudabiliter illos ſic ſtatuiſſe, quivis mecum fatebitur, qui noxas & damna, ex earum frequenti uſu profecta, commemorata legerit. Superſunt enim hinc inde apud ſcriptores clara eius rei teſtimonia; cuiusmodi *Scacchus* ex *Iuvenalis* Satyra III. attulit, pariterque apud *Suetonium* obſervare licet. ddd) Cæterum de *ſtrigmentorum* & *coniſali* utilita-

aaa) *Epiſt. medic. libr. I.* 51. bbb) *Lib. V. de loc. affect. p. m.* 307. ccc) *Chronic. libr. II. cap.* 4. ddd) *in vit. Octav. cap.* 80.

utilitatibus in medicina multis hic agere ſuperſedeo, cum prolixe eorum virtutes & pretium ex *Dioſcoride* præſertim *Langius* eee) expoſuerit.

§. *X.*

Neque magis neceſſarium eſſe videtur pluribus explicare, *quo potiſſimum in loco unctiones fieri conſueverint*, cum iam ſupra ἀλειπτηρίȣ mentionem fecerimus. Alio nomine, ἐλαιοθέσιον, & latino idiomate, *unctuarium hypocauſtum* dicebatur, eratque quarta, aut, ut *Galenus* & *Vitruvius* malunt, quinta balneorum pars, quæ quomodo conſtructa, aut quibus aliis præter unctiones, uſibus dicata fuerit, ad nos parum attinet deſcribere. Satis id ex *Vitruvio*, *Plinio*, *Galeno* & *Polluce*, itemque ex recentioribus conſtare poteſt. Ad *vaſorum* itaque *genera*, *in quibus olea & unguenta ſervarunt aliptæ*, me converto, breviterque ſolemniora commemoro. Præ ceteris frequentabatur in balneis *guttus*, vaſculum ex rhinocerote ditioribus, vel cornu taurino aut bubulo confectum, *ex quo guttatim ſtillabantur unguenta.* Habetur eius figura depicta in *du Choul Tractatu de balneis.* Vtrum *lenticula* & *guttus* eiusdem figuræ fuerint, definire haud ſuſtineo. *Celſus* fff) *utriculorum* meminit, qui *calido oleo repleti* fomentum corpori conſtituant ad eliciendum ſudorem: verum iſti hac ratione ad *Iatralipticen* nil pertinent. *Scribonius olearium fictile* ſimpliciter nominat, citra ullam figuræ deſignationem; forte idem eſt cum *lenticula Celſi* l. c. & *Ampulla olearia*, quam *Apuleius* hhh) deſcribit: *Qui magno in cœtu prædicavit, fabricatam ſibimet ampullam quoque oleariam quam geſtabat, lenticulari forma, tereti ambitu, preſſula rotunditate.* Hæc *ampulla* Græcis λήκυθος,

 & hinc

eee) *Epiſtol. cit.* fff) *Lib. II. cap.* 17. ggg) *Compoſ.* 161.
hhh) *Florid. Lib. I.*

& hinc ii, qui ſervis pueris talem in balnea deportantibus deſtituti erant, ἀυτολήκυθοι nuncupabantur. Plura *vaſorum oleariorum genera Pollux* libr. VI. Onomaſt. recenſet, μύρηρον nempe & ἀλάβαςρον, nec non, *Pherecrate* autore, κυάθιον ex argento, itemque ἐξάλειπ]ρον. *Plutarchus trullam oleariam, croſſum, ampullam* & *pelvim* in earum ſerie recenſet. Quæ quantum differant, an aquaria potius quam olearia quædam eorum ſint, diligentioribus Criticis diiudicandum relinquimus. Ex alabaſtro & onyche quæ conficiebantur vaſcula, minimæ magnitudinis, unguentis odoratis conſervandis, quæ luxuriæ cauſa, aut ad voluptatem in re venerea excitandam potiſſimum adhibebant mulieres, uſui fuiſſe notum eſt.

§. *XI.*

Quantum itaque pretium diverſæ gentes *unctionibus* tribuerint, quantique æſtimarint eas, ex allatis iam ſatis manifeſtum eſſe putamus. Cæterum hoc notari debet, plura in una eademque civitate *myropolia* & *officinas unguentarias* extitiſſe, ipſosque artifices, *unguentorum confectores* & *venditores*, μυροπολῆται, veteribus dicti, quos haud minima in dignitate fuiſſe apud Romanos, Inſcriptiones in *opere Gruteriano* & alibi obviæ oſtendunt. Eandem ob cauſam, quoniam tanti faciebant unguenta Romani, ſi quis publice populo talia præbuerat, poſt mortem in monumentis eius inter ſummas laudes recenſebatur, cuiusmodi lapidem ex *Manutio Scacchus* citat. Videbitur quidem plerisque, *tantum unguentis pretium luxus potiſſimum gratia ſtatuiſſe* has gentes, ſed, licet ab indocta plebe id hoc modo factum non negemus, nefas tamen putamus, doctiorum & philoſophorum ex illis teſtimonia, quæ *de unctionum utilitate* profeſſi ſunt, penitus prætermittere. Notiſſimum autem eſt Abderita-

rum

rum, clariſſimi philoſophi *Democriti* reſponſum, quod ad quæſtionem, quomodo homines incolumes manerent & longævi evaderent? tulit; nimirum: Ἐι τὰ μὲν ἔξωθεν ἐλαίῳ τοῦ σώματος, τὰ δὲ ἔνδοθεν μέλιτι χρήσαιτο. iii) Huius exemplum ſecutus fertur *Romulus Pollio*, a quo, cum iam centum annos vivendo ſuperaſſet, requirens Cæſar Auguſtus, quo medio uſus eſſet ad vigorem corporis conſervandum, hoc reſponſum accepit: *Intus mulſo, foris oleo.* kkk) Et ſane tot propemodum occurrunt de *utilitate unctionum* teſtimonia, quot a veteribus longævorum commemorantur exempla. *Galenus* certe *Antiochum* medicum, & *Telephum* Grammaticum præ ceteris ſuæ ætatis viros commemorat, quorum tamen neuter ad tantam provectus eſſet ætatem, niſi *crebrioribus unctionibus* valetudinem ſuam curaverint. lll) Hodie quidem apud nos & plerasque alias nationes hæc tuendæ ſanitatis ratio ferme exſolevit; Reperiuntur tamen adhuc populi quidam, qui ex *frequentiore unctionum uſu* inſignes utilitates, quin ipſam *vitam longam* fœnerantur, aut certe ſibi promittunt. Notum enim eſt de *Braſiliæ* & *Virginiæ* incolis, quod corpora ſua perungant varioque artificio pingant, & ad ſummam, quam aſſequi hodie ſolet genus humanum, ætatem adſcendant; notum quoque de *Hybernis*, præſertim ſylveſtribus, quod ſe nudos ante focum *butyro ſalſo & veteri* fricent, & ſic admodum vivaces reddant, fidem exemplis faciente *Bacone de Verulamio.* mmm) An Britones antiqui, cum *glaſto corpora infeciſſent, ad valetudinem aut longævitatem* reſpexerint, ut idem *Baco* ſuſpicatur; an decoris cauſa fecerint? ut *Mela* nnn) autumat;

iii) *vid.* Diophan. *Geoponis lib. V. cap. 7.* kkk) *vid. Plin. H. N. Lib. XIV. cap.* 22. lll) Galenus *lib. V. de ſanit. tuend. cap. 4.* mmm) *Hiſtor. Vit. & Mort. pag. m.* 278. nnn) *de ſitu orbis lib. 3. cap. 6.*

mat; an denique, ut horridum hoſtibus in pugna adſpectum ſuum redderent? ceu *Petrus Victorius* ooo) ex *Caeſaris* libr. V. cap. XIV. probare conatus eſt, definire nos quidem vix audemus, cum etiam hic unius rei plures potuerint eſſe cauſae. Interim ex enarratis lucide apparet, *omni tempore olei & unguentorum uſum externum adamatum fuiſſe*: quamvis antiquiſſimis temporibus, antequam eximias illas, quas ſuperficiei corporis illita iſta praeberent, perſpectas haberent, magis interno uſu eadem frequentari conſueverint, ita, ut & primis menſis ſimplex purumque *oleum* apponeretur, & ipſis cibis ac potibus admiſceretur, teſtantibus *Plinio* & *Athenaeo*.

§. *XII.*

Miſſis autem illis, quae aliquantulum aliena a propoſito videri poterunt, iam propius ad *praecipuos iatralipticae veterum uſus* exponendos accedo. Nec quicquam tamen eorum nunc commemoro, quos athletae aucupabantur, quales ex *Luciani* dialogo *de gymnaſiis*, *Anacharſes* inſcripto, enumerare ac depromere facile eſſet, ut nimirum corpora κοῦφα καὶ βαρέα τοῖς ἀνταγωνισταῖς redderent, &c. qualia brevitatis ſtudio lubet omittere. Dum igitur hoc ſaltem ediſſerere propoſitum eſt, *qua ratione, qui valetudinis diligentiorem curam habuerunt*, *Iatraliptices* commoda ſibi applicare ſtuduerint, utique praemonendum eſſe videtur, *raro aut nunquam unctiones ſolas*, *ſed iuxta cum balneis* fuiſſe adhibitas, idque ſecundum *Iatraliptarum* praecepta & regulas utrumque fieri conſueviſſe. Ita enim, qui ſanitate integra fruebantur, aut ex *itinere* vel alia quavis *exercitatione* feſſi, ante & poſt balnea ungebantur: qui *diuturno morbo* admodum erant extenuati, hos etiam poſt

ooo) *Variar. Lect. Lib. XIX.* 3.

poſt balnea ungebant *Aliptæ.* Quos vero largius ſudare e re iudicabant, hos neque ante, neque poſt balneum ungebant, id quod fere perpetuum in his erat, qui aut materiæ cruditate aut plenitudine laborabant. Horum omnium teſtem ſatis idoneum habeo *Galenum in libris de tuenda valetudine*, ipſumque *Celſum* noſtrum libr. 2. paſſim eiusmodi præcepta inculcantem. Ex horum libris multa profecto repetere & huc transferre poſſem, niſi vererer, ne multo laudabilius id ante me præſtiterit *Octavius Ferrarius in diſſertatione de balneis*, quam nuper ex *Facciolati* liberalitate luci publicæ dedit, huius olim, deinde Helmſtadienſis Academiæ magnum decus, D. *Io. Fabricius.* Certum interim & exploratum eſt, quod *Io. Langius* l. c. de hac curandæ valetudinis methodo pronunciat, per ipſam diverſa ratione adminiſtratam, *macilentos* quosdam *habiliores*, paulo *obeſiores* autem e contrario *macilentiores* fuiſſe redditos.

§. *XIII.*

Iuvabit autem ſingulares quosdam veteribus prædicatos *unctionum uſus* recenſere atque ita *præſtantiam iatraliptices* autorum teſtimoniis comprobare. Vix ulla vero æque frequenter laudata eius utilitas notatur in Græcorum & Romanorum libris, quam *quod laſſitudines ex itinere, venatione, variisque exercitationibus* contractæ per *unctionem* artificioſam fuerint curatæ. Hinc apud *Senecam* epiſt. 54. & alibi *corpus unctione recreare*, frequens occurrit phraſis. Eo autem conſilio iſtam ſine dubio adhibuerunt, *ut partim nervos & lacertos permulcerent, partim corporis poros nimium apertos leviter oppilarent*, ne continua ſudatione laudabiles humores nimium diſſiparentur. Hinc tot veterum medicorum *compoſitiones unguentorum* ἀκόπων ſ. *laſſitudinem auferentium*, quorum

rum ſane prolixam ſeriem apud *Scribonium* ppp) invenire licet. Nec alio fine tot *ad cohibendos ſudores linimenta* adinventa fuiſſe puto, quibus aliqualem in cute pororum conſtipationem, quam Græci στέγνωσιν vocant, procurare ſategerunt; quamvis id neque expeditum ſemper neque ſatis tutum fuiſſe videatur: cum enim primaria olei virtus ſit, *relaxare* fibras, poteſt tamen etiam *lentore ſuo poros obſtruere*, interdum non ſine valetudinis periculo. Cæterum pro diverſa materiæ *unguentorum* natura, & vario apparatu, diverſos etiam & plane diſtinctos privatosque effectus ipſis audacter attribuerunt antiqui medici, ut cuivis prope membro conducentia venditaverint *unguenta*. Sic enim alia, quæ *capiti* prodeſſent, alia, quæ languentem *ſtomachum* reficerent, quæ *nervorum artuumque debilitatem* corrigerent, rurſus alia, quæ refrigerando & adſtringendo *renibus* maxime & *hepati*, utpote partibus calidis ſubvenirent, excogitarunt. *Simplicis* autem *olei uſum* inſignem ſeorſim *ad frigus externum* arcendum, eiusque noxam avertendam multoties commendatum legimus; quo ipſo ſane exercitum ſuum a magna frigoris vi tutum aliquando præſtitit aſtutiſſimus Pœnorum Dux Hannibal, ſi *Livio* qqq) credimus; quamvis etiam ſimilia ferme alio de caſu affirmaverit *Xenophon*. rrr)

§. *XIV*.

Ex his, quæ hactenus propoſita ſunt, clare ſatis apparere putamus, quo iure *artificium ungendi hominum corpora, valetudinis tuendæ cauſa* olim frequentatum, tanquam *peculiaris quædam profeſſio* τῆς ἰατραλειπτικῆς nomine, locum famamque inter artes utiles invenerit? Quod

ppp) *libr. XV. cap.* 12. *Deipnoſoph.* qqq) *Hiſt. Rom. libr. XXI. cap.* 55. rrr) *lib. IV. de Cyri min. expeditione.*

Quod quidem poſſemus facile amplius commonſtrare, ſi *uſum therapevticum* perinde ac *prophylacticum* eiusdem rei vellemus ediſſerere. Aſt enim vero, cum id, pro inſtituti præſentis ratione, nimis prolixum fore videatur, in aliam occaſionem reſervatum eſto. Quare nec illam *diæteticam utilitatem* pluribus verbis exaggerare, neque exemplis curioſe conquiſitis adſtruere nunc placet, multoque minus portentoſa recenſere; cuiusmodi inprimis eſt, quod *Rogerius Baco* sss) enarrat *de cuſtode quodam nemoris in Britannia, qui unguento peculiari totum corpus, præter pedum plantas perunxerit, indeque trecentis annis integer ſanusque vixerit.*

§. XV.

Vnicum hoc nobis examinandum declarandumque ſupereſſe arbitramur, *an & quousque veterum Iatralipticæ artis præcepta noſtris hominibus obſervare & imitari conveniat?* Hic equidem denuo confitemur, quod iam in §. XI. profeſſi ſumus, *exolevisse* pridem, apud noſtrates non ſolum, ſed alias plerasque gentes, ſub frigidiore præſertim cœlo habitantes, *illam priſcam ungendi rationem*, non tam quod prorſus commentitia fictaque ſit eius utilitas, quam quod ipſi percipiendæ res aliæ in conſuetudinem adductæ obſiſtant, aut quod eadem, in tanto commodiorum valetudinis præſidiorum apparatu, facile carere liceat. Manet interim *unctionibus*, & *oleo* cumprimis, ea laus, quam inter recentiores medicos *Claud. Deodatus* ttt) iis attribuit, *quod & ſenum & iuvenum corporibus ſalubriter adhiberi hodieque posſint: His enim ea præſtamus, ne denſo externo ventorum impulſu feriantur ac ſuccumbant; vel laxa efficimus, ne* D *interna*

sss) *de ſecret. oper. cap. VII.* ttt) *Panth. Hygiaſt. Lib. II. p.* 27.

interna humorum fuligine ſtrangulentur. Quin & cutis, oleo imbuta, venena reſpuit, adeo ſi quis cutem admotis cauteriis, erodente medicamento, exulcerare ſuſtineat, illamque oleo prius perungat, fruſtretur operamque ludat; nec enim adhæreſcunt quæ applicantur, nec penetrant. Hæc ille.

§. *XVI.*

Cæterum neminem novimus, qui *inſtaurandæ veteris Iatralipticæ* patrocinium maiori cum ſtudio ſuſceperit, *Franc. Bac. de Verulamio.* Is l. c. *uſum olei, aut olivarum, aut amygdalarum dulcium ungendo conducere ad longævitatem* contendit, eamque *unctionem* inſtituendam ſuadet ſingulis auroris, cum exitur e lecto: admiſcendum autem oleo parum ſalis nigri & croci. *Levem* hinc fieri præcipit *unctionem*, ex lana aut ſpongia molliore; ut cutis tantum intingatur & inficiatur. *Talem operationem, ad vitam longam fore potentiſſimam* aſſerit, & hyeme conferre per excluſionem frigoris, & æſtate ad detinendos ſpiritus, & prohibendam exolutionem eorum, & arcendam vim aeris, quæ tunc maxime eſt prædatoria. *Cautelas* deinde laudatus autor ſubiungit quatuor, ſecundum totidem *incommoda, quæ ex iſto unctionis modo ſequi fortaſſe poſſent*; quorum primum exiſtimat, *ne ſudores reprimendo inducat morbos:* II) *ne corpus calefaciat nimium, & ſubinde inflammet:* III) *ne caput gravet extrinſeca oppletione:* IV) *ne ſpiritus per externam pororum occluſionem ſe nimis multiplicet* &c. Quibus omnibus, tametſi ſatis probabili oratione laboraverit occurrere Vir ſapientiſſimus, vix tamen efficiet, ut *Iatraliptice* dignitati ſuæ & uſui priſtino unquam apud nos & vicinas gentes reſtituatur, quamdiu communis prope-

propemodum hodie neglectus balneorum, ac recepta veſtiendi ratio, aliique mores, cum iſto *ungendi negotio* parum congruentes, obtinuerint. Nos certe veremur ut pauci reperiundi ſint, qui *unctionem valetudinis cauſa*, ſicut olim, & ex *Verulamii* conſilio, ſibi *quotidianam* facere velint.

NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO

DOMINO RESPONDENTI

S. P. D.

IO. HENR. SCHVLZE,

MED. D. ET PROF.

Quum praeclarae TVAE indolis, quam ad omnium litterarum ſtudia feliciter colenda attuliſti, multa iam domi et inter priuatos parietes viderim documenta, ſaepiusque TIBI applaudere debuerim, quoties aliis ingenii vires periclitantibus docta et diligenter excogitata dubia obiicientem TE audiui: non poſſum, quin laetus TIBI nunc acclamem, viſo induſtria et iudicio pari elaborato ſpecimine academico, quod ex cathedra, audientibus et comprobantibus doctis viris, probe defendiſti. Amorem meum, quem diu meruiſti, publice nunc teſtari pluribus verbis nec mei cauſa neque TVI opus videtur: vtinam TIBI contingant munifici patroni, quorum vero et efficaci auxilio virtutibus TVIS alae adiiciantur, vt ſublimem eruditionis apicem, ad quem pro fortuna praeſenti ſtrenue

et ſine intermiſſione eniteris, in reipublicae decus et emolumentum feliciter contingas. Perge, qua coepiſti: medidicinae ſerios labores iucundiſſimis et vtiliſſimis philologiae ſtudiis porro coniunge et philoſophiam ama. Fortuna non deerit, immo vberrime affluet. Exigui ad fontes ſuos riuuli ſunt, qui nauigiis tandem traiiciendis fluuiis originem dederunt: ex magnis fluuiis per foſſas et incilia deductae aquae quam facile ſtagnant, corrumpuntur, exſiccantur! Quod ſupereſt, certiorem TE *eſſe volo, nunquam meum ſtudium* TIBI *defuturum eſſe, ſi qua in re conſilio vel opera mea vti opportunum videbitur. Scribeb. Altorfi Norimbergenſium a. d.* XXV. *Iunii*

cIↄ Iↄcc XXIII.

